

Heinrich Valentin Becker

**Meditationes De Veste Nvptiali Ad Illvstrandam Parabolam Christi Math. XXII. v. 1-14. Programma Qvo Ad Festvm Diem Nativitatis Christi Pie Celebrandvm Cives Academicos Invitat**


Rostochii: Litteris Adlerianis, [1775?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838113827>

Druck Freier  Zugang









ZfLB ME  
05. AUG. 1999

● entsäuert

*Stoll. h.  
2970*



THE HISTORY OF  
THE ISLANDS OF  
THE WEST INDIES  
BY  
WILLIAM SMITH

THE HISTORY OF THE  
WEST INDIES  
FROM THE DISCOVERY  
BY CHRISTOPHER COLUMBUS  
TO THE PRESENT TIME  
IN TWO VOLUMES  
BY  
WILLIAM SMITH





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



MEDITATIONES  
DE  
VESTE NVPTIALI  
AD ILLVSTRANDAM PARABOLAM CHRISTI  
MATH. XXII. v. 1—14.

---

PROGRAMMA

QVO

AD FESTVM DIEM  
NATIVITATIS CHRISTI

PIE CELEBRANDVM

CIVES ACADEMICOS INVITAT

HENRICVS VALENTINVS BECKER

PHIL. D. ET PROFESSOR AC PASTOR IACOBÆVS

ACADEM. P. T. RECTOR.



---

ROSTOCHII  
LITTERIS ADLERIANIS.

1775



INSTITUTIONES

17

WESTE WAPTALLI

AD ILLVSTRANDAM PARABOLAM CHRISTI

MATH. XXIII. V. 1-13.

F. R. O. G. R. A. M. M. A.

6vo

AD FESTVM DIEM

NATIVITATIS CHRISTI

IN ECCLESIA

ACADEMICIS INVITAT

HENRICVS VALENTINVS BECKER

PHIL. D. ET PROFESSOR AC Rector FACULTATIS


ACADEMIAE ROSTOCKENSIS



ROSTOCKI

LITTERIS ABBATIAE






I. N. I.



Quem hodie celebramus, festum natiuitatis Domini nostri Iesu Christi diem, beneuolum Dei in nos animum atque exsecutionem decreti diuini de saluandis hominibus, nobis reuocat in memoriam. Iesum ex sanguine humano natum, et hac ratione a patribus ortum ducentem, nouimus esse Θεὸν ἐπὶ πάντων εὐλογητὸν εἰς τὰς αἰῶνας. Rom. IX. 5. Scimus hunc in finem filium Dei humanam adsumpsisse naturam, vt vitam suam daret λύτρον ἀντὶ πολλῶν, Matth. XX. 28. Igitur, quae de Christo Θεανθρωπῶ et de redemptione hominum ipsius vicaria morte praestita credimus et profitemur, eorum memores simus necesse est, quoties memoriam nati hominis Iesu celebramus. Euangelium de recens nato hominum saluatore, est euangelium de exsecutione eorum, quae Deus olim in salutem generis humani promiserat, quaeque suo tempore Deum esse praestiturum, patres V. T. rectissime sperabant. Quare non potest non memoria natiuitatis Iesu nos excitare, vt ad consideranda illa, quae Deus in salutem hominum peregit adplicemus animum.





Sollemne est redemptori nostro, ea quae Deus salutis nostrae restituendae causa fecit, instructioni coenae et adparatui ad conuiuium adsimilare. Ita Luc. XIV. 16. sqq. de coena loquitur, ad quam multi vocati sint, et Matth. XXII. 1. sqq. regnum coelorum conuiuium nuptiali simile esse adserit: qua quidem in parabola adparatus ad eiusmodi conuiuium expressa fit mentio v. 4. Adplicat scilicet Iesus ea, quae Prou. IX. 1—6. eundem in finem dicuntur, quaeque Iudaeos adfueuerant, bona saeculi futuri sub imagine coenae lautissimae cogitare. Non alienum ergo erit a scopo festi huius, quem iam celebramus, diei, explicare ea, quae Matth. XXII. de nuptiis a rege quodam filio suo paratis adseruntur, quippe quae sollertiam Dei in procuranda hominum salute sub imagine quadam in sacris literis haud insolita nobis proponunt.

In explicanda isthac parabola oleum atque operam perdunt, qui singulis in circumstantiis eius sensum quaerunt mysticum, quippe non contenti scire, Iesum in hac parabola imaginem eorum repraesentare, quae Deus in salutem hominum fecit, quorumque fructus primo Iudaeis, dein his renitentibus, etiam Gentilibus beneuole obtulit; omnia quae ad contum huius parabolae pertinent sigillatim explicare satagunt. Quaerunt v. g. quid per nuptias filio regis paratas, per seruos primum missos, per alios seruos, per mactationem bouum atque saginatorum etc. intelligatur. a) Nos quidem haec non curamus,

a) Cui eiusmodi explicationes anagogicae arident, adeat interpretes bibliorum *Berleburgenses*, LANGII *Licht und Recht* et volumina sub tit *des Englischen Bibelwercks* notissima. Inprimis *Harmonia Evangelica* a CHEMNITIO inchoata et a POL. LYSERO et IO. GERHARDO continuata placita Patrum continet, qui in determinando sensu mystico cuiusuis parabolae plerumque nimiam impenderunt sollertiam. Eam, quam explicare animus nobis est, parabolam b GERHARDVS *Harm. Eu. C. CLIII* illustrat, atque exempla sollertiae Patrum, in explicando quid per *boues*, quid vero per *altitia* intelligendum sit proferet. Nec mirum est, in ecclesia Romano catholica incongruam hanc explicandi rationem diu viguisse. ZEGERSVS v. g. (cuius explicationes *Criticis Anglicanis* sunt insertae) adfertur GREGORIO M., qui per boues prophetas et patres V. T. per altitia apostolos et sanctos N. T. intelligendos esse censet. CORN. IANSENIO ad h. 1.

vero



mus, conuicti, in parabola quavis ad scopum eius animum esse aduertendum, neque omnes narrationis parabolicae partes argutius esse explicandas, quippe quae tantummodo parabolae ad consuetudinem vitae humanae aptiorem reddendae inferuire debent. *b)* Certissime labore, cuncta quae Christus in hac parabola profert explicandi, supersedere possumus, tantum de inuestigando scopo huius parabolae solliciti.

Scopus parabolae ex connexionione eius cum aliis parabolis cognosci potest atque diiudicari. Christus in antecessum (C. XXI. 33. sqq.) de vinea loquitur, cuius fructus operarii domino vineae denegarunt, ipsum filium domini ad eos missum occidentes. Auditoribus Christi iudicium in hos latrones grauissimum ferentibus Christus ingenue regerit, regnum Dei ipsis subtractum, atque genti, fructus eius laturae datum iri, v. 43. Iam Pharisei eorumque affectae satis superque sentiebant, Iesum in hac parabola eos increpare tanquam refractarios, et conuersionem gentium ad Deum vaticinari, v. 45. Tamen Christus Cap. XXII. huic parabolae aliam iungit eiusdem argumenti; licet imago prorsus alia ab ipso hic depingatur.

Certum itaque est, Christum et in hac parabola morosum Iudaeorum animum, contentumque gratiae ipsis oblatae taxare, poenas iustissimas et grauissimas ipsis comminari, quaeque gentibus destinata erant gratiae diuinae documenta indigitare. Igitur quae de nuptiis, ad quas renitentibus illis, quibus conuiuium destinatum erat, alii ex plebe inuitantur, in parabola Christi vero simile est, Christum ipsum per taurum et per altitia significari. *c)* Per taurum, ad exhibendam (forfan extinguendam) famem, et ad sustentationem mediorum, ut robusti fiant: per altitia, ad praebendas delicias sublimis contemplationis spiritualibus. Eiusmodi lufus ingenii merito flocci habendi.

*b)* vid. S. V. ERNESTI *instir. interpret. N. T. C. IV. §. 20.* Conf. etiam GLASSII *philol. S. L. II. p. 489.* ed. Budd. ubi nimia quorundam cura in explicandis singulis parabolarum verbis taxatur Pronocat ad diu. Augustinum Lib. 16. C. D. C. 2. dicentem: *Non sane omnia quae gesta sunt, aliquid etiam significare putanda sunt, sed propter illa quae aliquid significant, etiam ea quae nihil significant attenduntur.* Cui iudicio et nos merito subscribimus.





Christi dicuntur, scopum habent gratiam Dei in salutem hominum tendentem, et missione filii Dei in mundum demonstratam depingere. Iudaeis primum aditus ad hanc gratiam patebat, ipsis vero renuentibus, bona a Iudaeis contempta gentibus offerebantur, Act. XIII. 46. Certissime vocatio gentium ad salutem, quam Iudaei sibi solis vindicare solebant, populo huic arroganti adeo videbatur παράδοξος, ac si plebi concederetur, epulis interesse regis. Quare Christus in hac parabola Iudaeorum praesudiciis semet accommodat, e) illisque demonstrat, Deum gentiles, non obstante indignissima eorum conditione, ad salutem per ipsum restituendam vocaturum, eosque omnium regni sui bonorum participes esse redditurum.

His praestructis quasdam parabolae partes vberius explicare placet.

Christus adsimilat *regnum coelorum*, id est oeconomiam restituendae salutis humanae, Regi, ὅστις ἐποίησεγάμους τῷ υἱῷ αὐτοῦ. Nemo inficias ibit in parabola ipsa non Regi, sed nuptiis regnum coelorum adsimilari: sed lectorem N. T. attentum fugere nequit, Christum saepissime in parabolis suis hypallage uti. d) Quid vero per γάμους intelligendum sit, non conuenit inter interpretes. Plurimi quidem facile concedunt, γάμους hic non ipsum matrimonium, sed metonymice conuiuium nuptiale designare. e) Vox ἀριστον v. 4. hanc vocem satis explicat, immo v. 10. alia prorsus metonymia adhibita, γάμος pro domo, in qua conuiuium nuptiale celebrandum erat, ponitur. f) Sed nihilominus quaestio mouetur: quaenam fuerint nuptiae, quarum causa sollemne hoc conuiuium instructum sit? Abeunt in duas partes interpretes, in has nuptias curiosius inquirentes. g)

Quidam

c) Ita Math. XV. 26. Iudaeos liberis; gentiles canibus aequiparat.

d) Conf. Math. XIII. ubi v. 24. 45. 48; non vero v. 31. 33. 44. haec figura adhibetur.

e) vid. GROTIUS ad] h. l. cui, quod ad hanc explicationem CALOVIUS adfentitur. Conf. WOLFII curae philal. et critic. ad h. l.

f) ἐπλήσθη ὁ γάμος ἀνακειμένων.

g) Cui placet Patrum ecclesiae cogitationes de his nuptiis inuicem conferre, adeat b. GERHARDI harmoniam euan. l. c. Ipse Gerhardus de nuptiis perfo-



Quidam de vnione personali filii Dei cum humana natura; alii de vnione mystica Christi cum iis, qui fide ipsum apprehendunt, has nuptias explicandas esse ducunt. Hi quidem gg) concedere coguntur, in parabola ipsa vnum idemque subiectum sub schemate sponsae, et sub schemate conuiuiarum fisci, quod sane incongruum foret, non obstantibus quae RVSSIVS <sup>b)</sup> pro tuenda hac sententia dixit. Illi vero, qui de vnione humanae et diuinae naturae Christi, seu de adsumptione humanae Christi naturae in ὑπόστασι λόγος (quam vocant nuptias personales) hic agi contendunt, <sup>i)</sup> probare nunquam poterunt, vnionem hancce personalem in s. literis sub specie coniugii nobis fisci. Prouocant quidem ad Luc. I. 35. et in hoc dicto copulationem personae diuinae cum natura hominis veluti sub chuppa deprehendisse sibi videntur. Sed angelum Dei voce ἐπισκιάζειν ad istum ritum, in contrahendo matrimonio Iudaeis sollempnem adtendere, precario adsumitur.

Neutra harum explicationum satis vulgarium, quas inuicem coniungendas esse RVSSIVS l. c. opinatur, placet HOLLERMANNO, <sup>k)</sup> eaque quae ad euertendas illas profert, legi merentur: sed explicationi nouae, quam inuenisse sibi persuadet, nemo facile praebere adsensum. Rectissime quidem statuit, per γάμος nihil nisi conuiuium esse intelligendum; sed integrum comma ita explicat: simile est regnum coelorum regi, qui per filium suum conuiuium nuptiale faciebat, fecit et facturus est. Ad stabiliendam hanc explicationem statuit, praepositionem ἐν causam denotare instrumentalem, hanc vero praepositionem hic esse omissam docet. Licet interpres hic dogmaticae

personalibus hic agi contendit, pluraque pro explicatione sua stabilienda profert argumenta p. 371. sqq.

gg) Inter quos a nostris CALOVIUS in *bibl. illustr.* et DORSCHAEVS *Comment. in 4. Euang.*

b) *Harmon. euang.* tom. III. p. 165.

i) Praeterea GERHARDVM l. c. hanc sententiam tuetur ZELTNERVS pluresque theologi, qui parabolam Christi vel illustrarunt, vel ex illa argumenta dogmatum grauissimi momenti perierunt.

k) *Bremisch und Verdisches Heboffer*, VI. Beyr. n. IV.





gmaticè vera tradat, non tamen explicatio eius firmo nititur talo, neque regulis hermeneutices dici potest consentanea.

Nos quidem, operae pretium non esse iudicamus, in nuptias hasce curiosius inquirere. Scopus totius parabolaè commode potest cognosci atque diiudicari, licet de inquirendo in peculiarem scopum, ad quem obtinendum Christus nuptiarum filii regis hic fecerit mentionem, parum finius solliciti. Christus Luc. XIV. 16. sqq. de coena loquitur, a quodam homine instructa, sed tacet de eo, quod parandae huic coenae ansam dederit. Quae quidem parabola illi, quam iam consideramus, respondens, eique *παράλληλος* satis demonstrat, causam non esse, ex qua ad inuestigandum, quid per nuptias filii regis intelligatur, adiiciamus animum; sed harum nuptiarum pariter ac mactationis taurorum atque altitium, tantum ad obtinendam verosimilitudinem parabolaè, factam esse mentionem.

Cum dubium nemini esse possit, Christum hac parabola Iudaeos gratiae diuinæ renitentes increpare, conuiuium a rege instructum, ad quod vocari conuiuas iubet, nil nisi gratiam Dei per Christum redemptorem recuperatam, gentique Iudaeae beneuole oblatam indicat. Hoc scientes, curatiori inquisitione supersedemus.

Itaque parata erat coena regia, et studio vocabantur, quibus praecipue conuiuium erat destinatum, v. 22. hoc est, Deus non solum omnia, quibus ad restituendam salutem hominum opus erat peregit, sed etiam homines de recuperata ipsorum salute fecit certiores, immo beneuole eos inuitauit, ut bonis fruantur, quae ex mera gratia ipsis destinauerat. Quae de reiterata uocatione conuiuarum dicuntur, v. 4. curam Dei erudiendae gentis Iudaeae, atque salutis ipsi offerendae exprimunt. Pariter resistentia Iudaeorum, sub imagine refractariorum, qui non solum uocationem regiam spernunt, sed et ministros regis interficiunt, uiuis depingitur coloribus. v. 5. Quae de ira regis in renitentes hos, atque praecones gratiae suae interficientes dicuntur, v. 7. uicinia sunt tristioris fati populi Iudaei, atque grauissimarum, quae eum manebant, poenarum. Rex ad coenam spretam alios inuitare iubet conuiuas, et hic quidem permittit, in locum hospitum ingratorum

eos



eos inuitari, qui in compitis vagabantur, quique longe alieni erant sibi persuadere, se vnquam ad epulas regias vocatos iri. v. 9. Veniunt hi, cuiusuis generis atque conditionis, et mensis stratis accumbunt. v. 10. Haec indicant curam Dei, gratiam euangelicam Iudaeis ex iusto iudicio sublatam gentibus offerendi idolocis et barbaris, hisque, quae olim nomen Dei non inuocabant, propitium se reddendi. Ef. XXV. 1. 2. Ita ex lapsu Iudaeorum salus gentilium orta est, Rom. XI. 11. hi vocati sunt, illis renitentibus. Haec sunt, quae Christus in parabola de nuptiis proponit.

Hucusque parabola, quam Christus Luc. XIV. 16—24. profert, illi in cuius explicatione versamur, omnibus in partibus est παράλληλος. Vtraque enim scopum habet docere, Iudaeos ob resistentiam suam gratia Dei priuatos, atque salutem ab ipsis spretam gentilibus oblatam iri: sed nostrae parabolaе Christus quaedam adiecit, quae attentionem nostram iure sibi vendicant: sunt ea quae v. 11—14. legimus.

„Postquam ex mandato regio quiuis in compitis versans ad conuiuium vocatus erat, mensaeque accumbentibus erant confertae: rex intrat ad visendum hospites. Videt conuiuiam, veste nuptiali non indutum, et ab eo quaerit: qui intrare ausus fuerit coenaculum, non indutus toga hac festiua? Obmutescente hoc conuiua, rex iubet, vt ligatus in carcerem abripiatur, atque plagis adficiatur grauissimis.“

Operae pretium erit, de sensu eorum, quae hic a Christo proferuntur indagare. Fieri hoc non potest, nisi in antecessum, sine respectu ad scopum saluatoris, connexionem huius secundae partis parabolaе Christi cum parte prima, internamque verosimilitudinem eorum, quae Christus narrat, exposuerimus.

In primis vero attentionem meretur grauis indignatio regis, ex eo orta, quod inter multos vel ex triuijs adductos vnum deprehenderit, qui licet toga nuptiali non vestitus, mensae tamen regiae accumbere fuerat ausus. Merito quaerimus, quid hic stomachum regis mouerit? Nonne iussu regis ex compitis viarum hospites accersendi erant? et quaenam eiusmodi hominibus abiectis, inopibus, ad incitas redactis sunt

B

togae





togae festivae? Nonne legentibus nobis v. 10. ad mensas varias homines tam malos quam bonos accubuisse, in maiorem rapit admirationem insignis numerus vestibus festiuis indutorum, quam vnicus hic homo, sordida veste vestitus? Neque facile est conicere, quo iure rex aegre ferre potuerit lacernam depexam hominis, qui laboribus sordidis insudans, ad epulas regias vocabatur?

Ad remouendum scopulum istum plurimi interpretes tanquam satis euictum pro certo ponunt, conuiuiae huic vestes nuptiales ex voluntate regis oblatas fuisse, eumque renuisse eas acceptare. Immo ingenue fatentur, fieri non posse, vt quis, hoc non adsumto, iram regis iustam esse censeat. <sup>l)</sup> Prouocant nonnulli ad ritum, quem dicunt veteribus fuisse sollempnem, omnibus, quos ad eiusmodi conuiuium inuitauerant, vestes offerendi festiuas: vtrum vero dono, an commodo datae sint hospitibus vestes, iniudicatum relinquunt. Ad hunc ritum Christum in parabola respexisse autumant, atque proinde conuiuiam non togatum merito poenas dedisse dicunt, cum facile ipsi fuerit acceptare vestitum conuiuio dignum, quem tamen morose spreuerit. <sup>m)</sup> Quae si probare possent, acceptissima nobis forent, atque ad illustrandam parabolam nostram vtilissima. Sed certum est, ritum istum, ad quem respicere Christum in parabola ferunt, probari non posse. DOVGTAEVVS quidem <sup>n)</sup> ad quem plures prouocant interpretes, ex scriptoribus graecis et latinis demonstrat, alia fuisse vestimentorum genera quibus in conuiujs, alia, quibus extra conuiuia utebantur. ALTMANNVS <sup>o)</sup> plures adhuc adfert testes, qui probant, quaedam vestimentorum genera a priscis huic, quaedam alii destinata fuisse vsui. Sed non omnes Graecorum et Romanorum mores ad illustrationem parabolarum Christi

ffii

- <sup>l)</sup> Fatetur hoc RVSSIVS H. Eu. Tom. III. p. 170. BRUCKERVS in annot. | ad | interpret. angl. et doct. PAULSEN in scripto vtilissimo *die Regierung der Morgenländer* p. 456.
- <sup>m)</sup> vid. I. F. CROME *Erklärung des Gleichn. vom hochzeitl. Kleide* §. II. 12. in collectione s. t. *Bremisch und Verd. Bibl.* Vol. III. p. 996. fq.
- <sup>n)</sup> in *analectis S. N. T.* p. 23.
- <sup>o)</sup> in *Meletemat. philol. criticis* P. I. p. 121. fq.



sti commode adplicantur, p) neque si feceris hanc adplicatio-  
nem, ex more peculiaribus in conuiuio vestimentis vtendi con-  
cludi potest, hospitem ipsum conuiuus vestimenta exhibuisse,  
quod tamen volunt, ad auctores a Dougtaeo et Altmanno ex-  
citatos prouocantes. Ipsi ALTMANNO verosimile videtur,  
viris locupletibus insignem apparatus vestium coenatoriarum  
fuisse: sed ex hac coniectura nimis ciro, ad exhibitionem ha-  
rum vestium omnibus conuiuus factam concludit. Cel. BRV-  
CKERVS l. c. ad hypothesin de vestibus cuiuslibet conuiuiae indu-  
tis fulciendam, prouocat ad descriptionem Homericam con-  
uiuui regii Menelai, atque exemplum profert hospitem, a mi-  
nistris tunicis indutorum: sed quae de ritibus Graecorum  
profert, non tamquam populo in moribus suis a Graecorum  
moribus longe alieno rectissima spectari possunt. Haec vero  
ponunt qui Christum ad hunc ritum alluisse volunt.

Satius cum POSSINO q) prouocant interpretes ad ritus  
Essenorum, de quibus IOSEPHVS r) perhibet, eos etiam in  
quotidiana cibi sumtione vestes adhibuisse peculiare, quas  
a mensa surgentes statim exuerunt. Saltem ex hoc more se-  
quitur Iudaeis peculiare fuisse vestes festiuas, quod etiam ex  
Mischna probare studet CROMIUS. s) Sed et haec male ad-  
plicantur, si quis ex illis conicere vult, sollemne fuisse hospi-  
tibus, cuius ad coenam vocato vestem offerre coenatoriam.

Quae b. FABER t) profert, maiorem prae se ferunt spe-  
ciem. Adferit omnibus, quibus accessus ad reges orientales  
permittitur, vestem festiuam dari, sine qua coram rege com-  
parere non liceat. Prouocat ad PAULSENIVM u) qui hunc  
ritum

p) vid. S. V. ERNESTI *interp. N. T.* p. 260. "In antiquitatibus viden-  
dum est, ne eas alieno loco obrudamus scriptoribus diuinis, et inde  
exprimamus sensus alienos: tum nefingamus ritus et mores antiquos ex  
verbis male intellectis, cuius generis ipsius exempla in libellis philolo-  
gicis reperiuntur."

q) *Spicileg.* p. 112.

r) *de bello Iud.* C. VIII. p. 162. ed. Haverii.

s) *Bremisch vnd Verd. Bibl.* l. c.

t) *Beobachtungen über den Orient.* II. Tb. p. 117.

u) *die Regierung der Morgenländer* p. 452. 453.





ritum ex itinerariis probat, eumque sequitur ex hoc ritu parabolam illustraturum. Sed licet haec ratio scrupulum explanationi parabolae obstantem remouendi, non adeo sit *παράδοξος*, atque assertio eorum qui cuius hospiti incubuisse ferant, ut conuiuas suos vestibibus ornet festiuis: nos tamen ingenue fateamur, dubium semper nobis restare: vtrum ritus recentiorum temporum (nam de iis tantummodo in itinerariis excitatis est sermo) iam tempore Christi fuerint sollemnes, et vtrum Christum ad eiusmodi ritus adiecisse animum, probari possit. Forsan vero nodum in scirpo quaerimus, adhuc dubii vtrum Christus in parabola mores regum exterorum spectet. Saltim vel sine hac restrictione ad curam regum, vestiendorum eorum, quos in conspectum sui vocabant, plurimi interpretes tanquam satis euietum adsumunt, quod ritus offerendi conuiuiis vestimenta, antiquitus fuerit obseruatus. Prouocant ad Genes. XLV. 21. 22. vbi Iosephum fratribus suis abiturientibus togas donasse festiuas adseritur, non tamen dicitur, eos his vestibibus iam tum amictos fuisse, cum in conspectu fratris ceperunt cibum Cap. XLIII. 33. Simson, quem etiam compellant interpretes, Iud. XIV. 12. togas festiuas promittit aenigma suam soluturis; ex addita autem hac conditione coniciendum est, exhibitionem eiusmodi vestimentorum non posse moribus in nuptiis vsitatis adnumerari, sed inusitati quid fuisse atque extraordinarii.

Si itaque dicendum quod res est: cum KREBSIO <sup>w)</sup> et HEVMANNO <sup>x)</sup> negamus hunc ritum apud veteres viguisse, atque ad explanationem parabolae Christi esse ponendum. Certe, rex non quaesiuisset: *qui intrare ausus es, non amictus veste nuptiali?* sed addidisset: *quare spreuisti vestem tibi oblatam?*

Forsan vero rex non potest absentiam vestis nuptialis iuste indignari, nisi adsumamus, iussu suo cuius conuiuae eiusmodi vestem esse exhibitam? Ita interpretes nunnulli: <sup>y)</sup> sed negato etiam ficto hoc ritu, indignatio regis in illum, qui veste caruit

<sup>w)</sup> *Obseru. in N. T. ex Iosepho* p. 47.

<sup>x)</sup> *Erklär. des N. T. 1. Th.* p. 315.

<sup>y)</sup> *vid. supra auctores n. l)* p. 10. excitatos.




caruit nuptiali, fuit iustissima. Ἐνδυμα γάμου non est nisi vestimentum a quotidiana veste diuersum, et indignatio regis ex eo orta esse videtur, quod viderit hominem ad coenam vocatum, veste sordida et lacera palatium suum intrasse, et mensae regiae accubuisse. Quodsi rex vilissimis ex plebe permittit, vt intrent penetralia palatii sui: iure tamen omnes arcentur, qui vestibus coeno tectis et dissolutis incedunt; multo magis cuiilibet, ad peculiarem regis gratiam adspiranti, satis notum est, opus esse, vt habitu saltim non dissoluto regi se sistat. Sic Iosephus a carcere regem Pharaonem accessurus tonderetur, aliisque induitur vestibus, ne sordida facies eius regi sit molesta. Gen. XLI. 14. Facile haec ad explicandum, quid stomachum regis mouerit, qui tamen quemuis ad coenam suam inuitauerat, adplicari possunt. Scilicet rex iusserat eos ad coenam vocari, qui in compositis viarum incedentes, laboribus forsitan sordidis insudabant; sed non iusserat, vt extemplo palatium regium ingrediantur. Cuiilibet conuocatorum non solum licebat, sed et opus erat domum suam redire, sordes ex laboribus diurnis acquisitas abstergere et pro vestimentis vilioribus, in quibus labores quotidiani peraguntur, alia induere, melioris notae atque honestiora. \*) Hoc ab omnibus factum erat conuiuio, illo tantummodo renuente, qui sine vlla vestium permutatione coena regia se frui posse sibi persuadebat. Iure rex arrogantiam huius hominis indignabatur. Reuerentiam principi suo debitam violauerat, illotus atque incomtus mensae regiae accubens, neque ex villo capite negligentiam suam excusare poterat, ad spectu aliorum conuiuarum satis conuictus, opus ipsi fuisse, vt habitu magis decoro in conspectum regis veniat. Hinc rex non poterat non grauiissimis hominem adfligere poenis, qui singulari et extraordinaria quadam gratia fruiturus, ne externa quidem reuerentiae debita signa curauerat. Patet itaque, ea quae Christus de rege, defectum vestis nuptialis iniquo animo ferente narrat, commode explicari posse, licet hypothesin, de vestibus nuptialibus cuiilibet conuocato exhibitis, vt commentum ineptum reiiciendum iudicemus.

Sed

\*) Haec HEVMANNVS. I. c. supponit: cui nos quidem adsentimur.





Sed tempus est, vt in sensum huius allegoriae inquiramus mysticum. Ex antea dictis constat, a compitis ad coenam vocatos imaginem esse Gentilium, quibus, licet nullo iure ad gratiam, quam Deus olim Iudaeis solis vindicauerat, adspirare poterant, Ps. CXLVII. 20. gratia tamen per Christum parta beneuole offerebatur. Itaque in parabola docetur, Gentiles dicto diuino magis audientes fore, quam Iudaeos, magnumque ex illis numerum, ad acceptandam gratiam Dei a Iudaeis spretam, paratum se esse exhibiturum. Merito autem quaeritur: quis per hominem veste nuptiali non iudutum; quidque per hanc vestem sit intelligendum? Antequam ad hanc quaestionem respondeamus hoc norandum esse ducimus: licet Christus vnus tantum hominis cui haec vestis defuit, fecerit mentionem, non tamen requiri, vt in adplicatione huius parabolae, vnici cuiusdam hominis (individui cuiusdam) iniquitatem hic taxari arbitremur. Speciem numeri certam pro multitudine indeterminata in s. literis nonnunquam poni, quis est qui nesciat? *a)* Itaque sententia eorum, qui per hominem veste nuptiali non indutum Antichristum denotari volunt, *b)* quippe quae potissimum eo ininitur, quod Christus de persona singulari hic loquatur, omni caret fundamento. Nos quidem cum *b. HEUMANNO* ex epi-phonemate, quod Christus huic parabolae iungit, concludimus, non vnum solummodo, sed plures vestibus squalidis vestitos adfuisse. Alias enim Iesus dixisset, omnes vocatos electos fuisse vnico tantum excepto. Hinc versionem *BAHRDTII*, *c)* plurimis in locis merito reiciendam, hoc loco probamus. Ergo loco vnus plures cogitandi sunt negligentiores, qui licet vocationi ad epulas regias pares se gesserint, non tamen impenderunt curam, vt habitu satis honesto felicitate ipsis oblata fruantur:

- a)* FLACIUS *Clauē* S. S. P. II, p. 155. canonem hunc statuit: *Sc. sacra singularem numerum pro plurali ponit aliquando.* Vid. GLASSIUS *Rhetor* S. p. 1915. et *Gramm.* S. p. 615.
- b)* C. H. SANDHAGEN *Ep. theol.* P. II, cap. 4. A. L. KOENIGSMANN in dissertatione singulari Kilonii 1711. habita. *Corn de WITT* in h. l. cuius dissertatio extat in *Miscellaneis Gröningianis* T. I, p. 67. sq.
- c)* *er wird den einen vnd den andern gewahr, der keine festliche Kleider anhatte.*



fruantur: qui vero, ob neglectam hanc curam, quae ipsis cordi esse debuerat, felicitate, ad quam adspirabant, priuati, poenas merito dabant grauissimas.

His praemissis quaeramus, quid ex mente Christi significet vestis nuptialis, cuius absentia conuiuas reos faciebat? Priscorum ecclesiae doctorum de hac veste sententias enarrat b. GERHARDUS. *d)* Ex iis quae refert patet, non eandem omnes de hac veste tulisse sententiam. Alii Christum ipsum, alii fidem in Christum, alii caritatem, dona Spiritus s. studium bonorum operum, reliqua, veste nuptiali exprimi docuerunt. Has sententiarum diuersitates inuicem conciliare studet GERHARDUS docens, vestem renatorum simul esse rubram et albam. Rubram, ratione sanguinis et meriti Christi per fidem imputati: albam, ratione puritatis vitae. Mox tamen illi vestis *ipse Christus* est, quem et cibum in his nuptiis esse adseruerat. *Illum induimus*, inquit, *tum fide eius meritum apprehendendo, tum vestigia ipsius premedo.* Coeterum doctores pontificios, qui solam caritatem seu bona opera vestis nuptialis nomine venire statuunt, strenue refutare operam nauat. Verum est, patres quam plurimos non solum, sed et eruditissimos, *e)* eam tulisse de veste nuptiali sententiam, quod illa vera virtus denotetur. Proinde non est quod miremur, doctores pontificios, patrum horum vestigia prementes, explicationi eorum adiicere calculum. Sed ex quo inter omnes constat pontificios efficaciae fidei salutari derogare, et bonis operibus iusto maius adiudicare pretium, nostri theologi religioni sibi duxerunt, huic pontificiorum explicationi non contradicere. Non solum antiquiores, sed et recentiorum nonnulli omnia, quae de iustificatione hominis ex sola fide rectissime docent, ad explicandum quid sit vestis nuptialis adplicant. Dogmata ibi proferunt, vbi sensus mysticus dictionis parabolicae eruendus erat.

Quare, quum GROTIUS ambulationem vocatione diuina dignam hac veste indicari docet, a CALOVIO *f)* taxatur. Neque tamen Calovius Grotium refutat; sed sufficit illi docuisse,

nos

*d)* Harm. Eu. l. c. p. 392. sq.

*e)* IRENAEVM, TERTULLIANVM, ORIGENEM, HILARIVM, AMBROSIVM, HIERONYMVM, AVGVSTINVM, GREGORIVM.  
Vid. Gerh. l. c.

*f)* Bibliis illustr. ad .l.





nos sine iustitia Christi coram Deo consistere non posse. Ex quo concludit, Iesum hanc suam iustitiam veste nuptiali indicare. Laudatur a RUSSIO l. c. aliisque; ab HEUMANNO tamen inanis formido pontificiis adfentiendi ipsi tribuitur. In ecclesia reformata HONERTIUS, g) LAMPIUS, h) GILLIUS i) aliique fidem, qua meritum Christi nobis imputatur, veste nuptiali indicari statuunt. Sunt tamen et inter nostros et inter reformatos, qui licet non negent, Christum veste nuptiali fidem denotare, tamen ad effectum fidei, ad virtutes fidem semper excipientes eum potissimum adiecisse animum docent, k) Ab omnibus discrepat sententia cel. WHITBY, qui negans fidem veste festiua indicari, adserit Christum hic falsos apostolos increpare, qui sub specie christianismi placita Iudaeorum sustentare audent, merito a doctiss. BRUCKERO taxatus.

Sed non opus est recensio*n*i diuersarum sententiarum interpretum diutius immorari. Potius ipsi curam adhibeamus inuestigandi sensus mystici vestis nuptialis. In parabola adseritur, fuisse multos regis conuiuas a compitis accersitos, quo quidem Christus docet, euangelio gentilibus annunciato, permultos fore, qui audientes Christum seruatorem acquisiuisse gratiam Dei omnibus, non renuant bonis frui, grato hoc euangelio ipsis oblati. — Inter hos conuiuas fuerunt squalidi, et vestibus sordidis induti. Hoc schemate designari nobis videntur, qui parati salutem per Christum recuperatam acceptare, nullam tamen impenderunt operam, vt bonis coelestibus, ad quorum vsum praedicatione euangelii inuitantur, euadant digniores.

Scilicet bona, quae euangelium nobis offert, sunt huiusmodi, vt non possint non grata atque accepta cuiuis videri, qui non, vt Iudaica gens, stolidis contra euangelium occupatus est praeiudiciis. Ecquis non grato animo acceptaret promissa.

g) *Theol. emblem.* p. 250.

h) *Comment. ad Ps. XLV.* p. 368.

i) vid. *das Englische Bibelwerck* ad h. l.

k) vid. b. BRUCKERVS in notis Anglorum interpretationibus adiectis ad h. l. S. R. MOLDENHAYER in der *Erläuterung des N. T.* p. 106.

ALTMANNUS meletem, T. I. p. 119. 102.



missa, de remissione peccatorum gratuita, de imputatione meriti Christi, de adoptione, de salute aeterna, omnibus qui in Christum credunt parata! Et, quod potissimum euangelium de meliori commendat. omnia bona quae euangelium promittit, sine vlllo nostro merito nobis impertientur, neque Deus requirit a saluandis, nisi vt fide acceptent, quae Christus illis adquisiuit. Mirum itaque non est, plurimos, ad quos fama euangelium perlatum est, adfensum illi praebuisse, atque sine mora eo tetendisse, vt insignium bonorum, quae ipsis offerebantur, fiant participes. Inter hos fuerunt, qui vitiis adhuc indulgentes, atque de integritate cordum suorum parum solliciti, ad promissiones euangelii tamen adspirarunt. Hi sunt, qui veste nuptiali non induti mensae regiae accumbere non erubescunt; siquidem spem alunt fruendorum bonorum regni diuini, licet non ea ipsis sit conditio, quae Deo gratos illos reddere possit. Vocant Christum dominum; non tamen obediunt voluntati patris sui. Matth. VIII. 2. Inuocant nomen Christi; licet non alieni sint ab iniustitia. 2 Tim. II, 19. Nondum abhorrentes a communione cum regno tenebrarum, regnum Dei intrare volunt, credentes, fieri posse vt Christus et Belial inuicem conciliantur. 2 Cor. VI, 14. 15. 1 Cor. X, 21.

Pater itaque, ad eruendum sensum mysticum huius parabolae quaerendum esse, quinam sint conuiuiae vestibus nuptialibus non induti? antequam determinari possit, quid sit vestimentum nuptiale? Quod ad quaestionem primam respondeamus; Christum de iis loqui, quibus argumentum euangelii de salute peccatoribus gratis oblata perplacet, quique, vt huius summi boni euadant participes, remediis gratiae, quae euangelium commendat, lubentissime vtuntur, licet alieni sint ab integritate animi sine qua Deo placere nequeunt. Certe hi eiusdem criminis rei sunt, cuius conuictus erat, qui veste honesta non indutus palatium regis intrare mensaeque regiae accumbere audebat. Haec sufficere possunt, ad explicationem alterius partis parabolae nostrae.

Sed vt iis morem geramus, quibus religio est sensum vestis nuptialis mysticum intactum relinquere, remotis quas ipsi non conuenire credimus ideis, aperte dicamus, quamnam huic

C

sym-





symbolo ex mente Christi iungendam esse cogitationem arbitremur. *Vestis nuptialis*, cuius defectus iram Dei in eos excitat, qui bonis gratiae suae frui volunt, non est ipse Christus. Ut enim taceam quam incongruum sit, Christum, quem ipsum sponsum esse dicunt, quem per cibos paratos repraesentari volunt, etiam veste nuptiali indicari: certum est, in omnibus s. literarum effatis, in quibus de Christo induendo sermo est, vocem *Christus* metonymice adhiberi, atque vel meritum Christi fide adprehendendum, vel mores Christi, quibus nostri mores conformes esse debent indicari. <sup>l)</sup> Sic itaque, qui veste nuptiali Christum denotari volunt, <sup>m)</sup> vel incogruum quid et scopo parabolae non consentanei statuunt, vel quaestionem ad quam respondisse sibi videntur, reuera non enodant.

Qui vestem nuptialem, qua indui debent bonis per Christum partis fruituri, fidem in meritum Christi esse dicunt, non quidem docent nisi in se verissima, cum sola fides in Christum nos Deo gratos reddere possit: sed haec nos incitare nequeunt, ut explicationi eorum accedamus. Vocatio ad coenam regis est inuitatio ad usum bonorum per Christum partorum, quibus sine fide uti nemo potest. In omnibus itaque, qui vocationi regis morem gerentes coenandum venerant, fidem pro certo ponamus necesse est. Non quidem supponi potest, vera saluifica fide omnes praeditos fuisse hospites; saltem tamen omnes euangelio adfensum praebabant, atque a morosa resistantia alieni paratos se praestabant acceptare salutem beneuole ipsis oblatam. Hinc pro isthac fidei significatione negari nequit, etiam hospiti veste nuptiali non induto fidem adfuisse. <sup>n)</sup> Accedit

<sup>l)</sup> vid. doctiss. TELLERI *Wörterbuch des N. T.* sub Voce *anziehen*, quem librum excito, licet illis, quae hic ad explicandum Gal. III. 27. profert non adferantur.

<sup>m)</sup> FLACIUS *clauae S. S.* sub voce *Vestimentum* GERHARDVS I. c.

<sup>n)</sup> Conf. ABR. SCVLETETI *exercitar. euangel.* L. II. cap. 86. *Criticor. sacror.* Tomo IV. adiunctas. *Multi declamitant hic de fide agi fid non in loco. Nam Christus homini qui in tenebras exteriores deiecitur fidem tribuit, dum affirmat, eum aequae ac alios ad conuuiuium*



cedit his, nulla vestimenta festiua a rege conuiuio fuisse oblata, sed illis ipsis incubuisse, pro vestibus quotidianis aliis indui honestioribus. Fides vero saluifica est donum Sp. s. superne nobis colatum. Ex quo sequitur defectum vestis nuptialis non esse defectum fidei, sed fidem a veste nuptiali esse distinguendam.

Neque tamen iis accedere vellem, qui per hanc vestem sanctitatem vitae dignamque vocatione diuina ambulationem denotari volunt. <sup>o)</sup> Verum quidem est, in s. literis nos inuitari vt virtutibus induamur: Eph. IV. 24. Col. III. 10. 12. 14. verum est, in Apocalypsi vestem byssinam sponsae agni per *δικαιώματα τῶν ἁγίων* explicari: Apoc. XIX. 8. sed vestibus nuptialibus indui debuisset conuiuia, antequam ad coenam ipsi paratam veniret. Proinde vestis nuptialis est conditio hominis saluandi quae ad fidem praerequitur. Sanctitas vitae vero, vt inter omnes constat, fidem sibi praestruit, et non nisi consequens fidei est. Ex hac ratione neque iis adsentiri possumus, qui vitae sanctitatem, aut si mauis, bona opera pro veste nuptiali habent.

Vt paucis dicam quae sentio, vestis nuptialis est vera conuersio a tenebris ad lucem, a potestate Saranae ad Deum, Act. XXVI. 18. est ea *μετάνοια*, quae ab omnibus euangelio credituris exigitur Matth. III. 2. IV. 17. Marc. I. 15. Optime haec explicatio scopo parabolae conuenit. Constat conuiuium incomtum vocationi morem gessisse, atque paratum se exhibuisse bonis fruendi, quae in conuiuio regio ipsi offerebantur; eum tamen curam vestium honestiorum neglexisse, atque sordida veste amictum regium intrasse palatium. Vera vestigia huius hominis omnis honestatis immemoris sequuntur, qui nomen Christi inuocant, licet non abhorreant ab iniustitia; qui parati sunt acceptare bona regni diuini, de conditione, sub qua

*uium coeleste venisse. Venire autem ad Christum, et profiteri fidem in Christum idem sunt, vt inter alia liquet ex Io. VI. 35. Atque is vestem nuptialem non habuit. Non sunt igitur idem fides et vestis nuptialis. Vera quidem fides veste nuptiali semper decorata est; sed non idcirco idem sunt fides et vestis nuptialis, etc.*

<sup>o)</sup> Ita GROTIUS, SCVLTVS, HEYMANNVS, l. c. et recentiorum plerique.





ea illis offeruntur, parum solliciti. Quid est, quod in his desideratur? Omnino vera fides penitus illis deest: haec enim semper efficax animum reddit Deo gratum atque virtutes operatur vere diuinas. Ast vero credunt euangelio saltem eo sensu, ut verum atque salutare illud esse nulli dubitent; non recusant salutem per Christum ipsis oblatam, sibi que persuadent, fore ut Christo duce, in quem credere affirmant, salui fiant. Neque tamen persuasio haec ipsis proderit. Iure de illis dicendum est, corda eorum non esse integra coram Deo, Act. VIII. 21. si quidem non alieni sunt a vitiis, quibus nuncium mittere debent ad gratiam summi Numinis adspirantes.

Itaque, quae tam ad fidem, quam ad virtutes christianas semper praerequiritur, integritas cordis, vera status prioris mutatio morumque correctio est vestis nuptialis, sine qua, qui per Christum salutem quaerunt bonisque ab ipso recuperatis frui gestiunt, placere Deo non possunt. p)

Hanc quidem integritatem, morumque in melius mutationem vobis commendatam habeatis Ciues optimi, festis his diebus memoriam recens nati Iospitatoris concelebraturi. Et vobis natus est Christus dominus: et vobis natiuitate eius epulae paratae sunt lautissimae. Fruamini illis, atque bonis coelestibus, per Christum vobis partis pascite animum. Cauete tamen, ne quis vestrum veste sordida vestitus regem suum adeat; sancta sint vobis verba Pauli, Rom. XIII. 12. ἀποβάμεθα τὰ ἔργα τῆ σκότης, καὶ ἐνδυσάμεθα τὰ ὄπλα τῆ φωτός.

### T A N T V M.

- p) Consentit CARTWRIGHT *harmonia euangel.* p. 739. *Veste nuptiali Christus designare videtur mutationem a priore conditione, qua quis in infidelitate vixit: ut enim aulam regiam ingressuri vestes squalidas deponunt, etc.*

P. P.

SVB SIGILLO RECTORALI  
FER. I, NATIUITATIS CHRISTI  
A. R. S. MDCCLXXV.























one peccatorum gratuita, de imputatione me-  
 doptione, de salute aeterna, omnibus qui in  
 parata! Et, quod potissimum euangelium de  
 dat. omnia bona quae euangelium promittit,  
 merito nobis impertientur, neque Deus requi-  
 si vt fide acceptent, quae Christus illis adqui-  
 que non est, plurimos, ad quos fama euan-  
 est, ad sensum illi praeuuisse, atque sine mora  
 insignium bonorum, quae ipsis offerebantur,  
 Inter hos fuerunt, qui vitiis adhuc indulgen-  
 tegritate cordum suorum parum solliciti, ad  
 ngelii tamen adspirarunt. Hi sunt, qui veste  
 ti mensae regiae accumbere non erubescunt;  
 unt fruendorum bonorum regni diuini, licet  
 onditio, quae Deo gratos illos reddere possit.  
 n dominum; non tamen obediunt voluntati  
 i. VIII. 2. Inuocant nomen Christi; licet non  
 stitia. 2 Tim. II, 19. Nondum abhorrentes a  
 n regno tenebrarum, regnum Dei intrare vo-  
 fieri posse vt Christus et Belial inuicem conci-  
 I, 14. 15. I Cor. X, 21.

, ad eruendum sensum mysticum huius para-  
 m esse, quinam sint conuiuiae vestibus nuptia-  
 ? antequam determinari possit, quid sit vesti-  
 e? Quod ad quaestionem primam responde-  
 de iis loqui, quibus argumentum euangelii de  
 us gratis oblata perplacet, quique, vt huius  
 ant participes, remediis gratiae, quae euange-  
 t, lubentissime vtuntur, licet alieni sint ab in-  
 fine qua Deo placere nequeunt. Certe hi  
 s rei sunt, cuius conuietus erat, qui veste  
 utus palatium regis intrare mensaeque regiae  
 bat. Haec sufficere possunt, ad explicationem  
 arabolae nostrae.

norem geramus, quibus religio est sensum ve-  
 ysticum intactum relinquere, remotis quas ipsi  
 redimus ideis, aperte dicamus, quamnam huic  
 C sym-

